



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio XXIX. Divisiones aliquot divinæ Voluntatis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

titus vindictæ. Quare idem S. Doctor 1. 2. q. 47. a. 1. ad 1. expressè docet, iram, licet non secundum passionem animi, tamen secundum iudicium iustitiae, prout vult vindictam facere de peccato, in Deo reperiri.

VII. Quoad secundum in titulo propositum, hæc quatuor actuum genera ratione nostrâ distincta, in Deo propriè & formaliter reperiuntur. *Intentio, Electio, vsus, & Fructio*: ita communis Theologorum sententia. *Intentio* est efficax voluntas finis, quæ quamvis in Deo, respectu eorum quæ ad intra sunt, non detur, datur tamen respectu rerum Deo extrinsecarum, & operationis transeuntis, ut ostendit illud Proverb. 16. v. 14. *Omnia propter*

semetipsum operatus est Dominus. *Electio* circa media versatur, quæ scilicet Deus unum aliis ad finem quem intendit obtinendum, præfert. Sic hunc potius mundum, & hanc rerum seriem elegit quàm aliam, ex infinitis quas eligere potuisset. *Vsus* est voluntas mediorum, quæ jam electa sunt, executiva. *Fructio* demum est quies ac delectatio in fine possessio, nempe Deo, qui seipso tanquam rerum omnium creaturarum fine (utpote ad quem cuncta ordinata sunt) perfectissimè fruatur. Hæc juxta communem sententiam obiter in præsentia dixi; postea enim in materia de Prædestinatione de iisdem redibit sermo.

Quomodo differant Electio, vsus, & Fructio.

DISPUTATIO XXIX.

Divisiones aliquot Divinae Voluntatis.

QUATUOR ut plurimum à Theologis recensentur Voluntatis Divinae divisiones, de quibus in presenti disputari solet: prima est in voluntatem antecedentem & consequentem. secunda in actum volentem & permittentem: tertia in voluntatem efficacem & inefficacem: quarta denique in voluntatem signi & beneplaciti. De quibus omnibus suo ordine dicendum.

SECTIO PRIMA.

Quid sit voluntas Dei antecedens, quid consequens. Vbi etiam de actu volente, & permittente.

I. Dantur in Deo voluntatem antecedentem, & consequentem, constans est Theologorum sententia.



ONSTANS Theologorum sententia est, duplicem hanc, ratione nostrâ, voluntatem in Deo reperiri: nec parvum habet in Sanctis Patribus, ipsisque ad eod. Divinis Literis fundamentum. Eam præ reliquis apertius tradidit S. Joannes Damascenus lib. 2. Orthodoxæ fidei, cap. 29. ubi sic habet: *Illud quoque nos ne fugiat, Deum ut bonitate præstantem, primariè quidem omnes homines servari, ac regni sui compotes esse velle, ut iustum autem, iis quoque qui peccant, penam inferni nihilominus velle. At prius illud, antecedens voluntas, seu beneplacitum dicitur, ex ipso manans. Secundum autem, insequens voluntas, atque permissio à nostro vitio ortum ducens.* Hæc ille. Licet verò exemplum in voluntate homines salvandi posuerit, tanquam præcipuo in nos à Deo collato beneficio, idem nihilominus est de aliis rebus, in quibus duplex hæc Dei voluntas, antecedens scilicet & consequens, cerni potest, ut mox videbimus.

II. Voluntatem antecedentem dicunt aliqui, non terminari ad rem volentem, sed ad aliquid eam antecedens.

Quam autem in hac divisione divinae voluntatis in antecedentem & consequentem astruendâ concordant sunt Theologi, tam sunt in eâ declarandâ discordes. S. Bonaventura in 1. disp. 47. a. 1. q. 1. Durand. ibid. q. 1. num. 5. Gabriel, & alii voluntatem antecedentem eam esse volunt, quæ non terminatur ad rem aliquam in se, sed ad aliquid quod eam antecedit ex quo fieri possit, licet ite-

quenter non fiat, quia aliunde accedit impedimentum. Sic inquit, voluntas antecedens, quam Deus habet salvandi reprobos, non terminatur immediatè ad gloriam, sed ideo dicitur Deus velle iis antecedenter gloriam, quia vult illis gratiam sufficientem, in quâ, gloria continetur, utpote per quam, si cooperari cum eâ velint, obtinere beatitudinem possint.

Hic tamen voluntatem antecedentem & consequentem explicandi modus non omnino assecutus rem videtur. Voluntas quippe antecedens, immediatè terminari debet ad rem cuius est voluntas, cum sit vera & propria illius volitio; non ergo sufficit remotè tantum, & in alio eam velle, cum hic sit improprius, & quasi metaphoricus volendi modus: Deus autem per voluntatem antecedentem verè & propriè vult omnium salutem, juxta illud ad Timoth. 1. cap. 2. v. 4. *Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Deinde voluntas salutis, & voluntas mediorum censentur passim à Theologis, ratione nostrâ, duæ voluntates; in hæc autem sententiâ non sunt nisi una, quæ eatenus terminari dicitur ad salutem, quatenus immediatè tendit in media illius effectiva, nempe gratiam sufficientem.

Alii voluntatem antecedentem eam esse docent quæ est conditionata & inefficax; consequentem verò absolutam semper & efficacem: priorem itaque sine effectu, seu re volitâ persistere posse affirmant; secundam verò aiunt nunquam sine effectu reperiri. Sed, meo iudicio, in hoc voluntatem antecedentem & consequentem explicandi modo, duo sunt difficilia; primum, quòd hac ratione duæ voluntatis divinae divisiones, de quibus à Theologis tanquam de distinctis disputatur, inter se confunduntur, nempe antecedens & consequens, efficacem

III. Voluntas antecedens debet dici eamimmediatam, sed immediatam, & propriam.

IV. Nonnulli voluntatem antecedentem idem esse voluntatem atque inefficacem consequentem idem ac efficacem.

efficax & inefficax. Deinde licet saepenumero voluntas Dei antecedens sit inefficax, ut jam vidimus in voluntate salvandi reprobos, non tamen video, cur dari nequeat voluntas antecedens, quæ sit efficax, qualis fuisse videtur voluntas creandi mundum, & alia huic similes.

Tandem itaque nonnulli, ut Cajetanus & alii, contendunt non dari in Deo verè & propriè voluntatem antecedentem, nec esse eam voluntatem beneplaciti, sed tantum signi, quæ non est vera voluntas, sed analogica, & signum tantum voluntatis, ut sect. quartâ videbimus. Verùm hoc dici nullo modo potest; negari enim nequit, quin Deus veram & propriam habeat voluntatem salvandi omnes; hæc autem, juxta communem sententiam Theologorum, est antecedens: ergo, &c.

VI. Ut ergo quid hæc in re tenendum sit, aperiam, notandum duo volitionum genera in Deo reperiri: primò itaque ex se, seu innatâ ad benefaciendum nobis inclinatione & propensione aliquid vult, spectatâ præcisè bonitate suâ, liberalitate, & magnificentiâ, qualis est voluntas creationis, erectionis ad finem supernaturalem, &c. Alia verò quadam facit occasione ab hominibus acceptâ, ut dum pœnam ob scelera infligit, & similia: hæc verò non ab ipso Deo præcisè dimanant, & innatâ ejus propensione, sed supposito aliquo opere nostro, per quod ad illa volendum movetur, & excitatur. Voluntas ergo, ut priora respicit, dicitur antecedens, quia actus illi voluntatis divinæ omnem creaturæ operationem antecedunt: ut verò spectat posteriora, dicitur consequens, quòd operationem aliquam nostram præsupponat, eamque subsequatur. Hæc videtur mens S. Damasceni in verbis initio sectionis relatis, & insinuat S. Chrysostomus Hom. 1. in Epist. ad Ephesios, & alii.

VII. Circa secundum in titulo propositum, de actu scilicet volente & permittente: Deus multa directè & absolutè vult, vel per se solum, ut cum Angelos & creaturas alias in mundi exordio produxit; vel dependenter à causâ creatâ necessariâ, ut dum unâ cum sole lucem, cum igne calorem, cum sideribus influxum in sublanaribus efficit: vel denique ubi cum causâ secundâ liberâ concurrat ad operationes virtutis, honestumque liberi arbitrii exercitium.

VIII. Alii verò actus sunt creaturæ rationalis, liberè operantis, quæ inordinati in se aliquid, & inhonesti continent, ut sunt peccata ab homine vel Angelo commissa. Priora itaque, honesta eum sint, directè, ut dixi, & absolutè vult Deus, cum nihil in iis reperitur, quod Deum dedecet. Posteriora verò, non directè & absolutè vult, sed tantummodo permittit; esto ad has etiam operationes tanquam Universi moderator, concursum in actu primo patet, ut iridinem fervet nostræ voluntatis libertatem, creaturamque rationalem conformiter ad illius naturam regat: ad hos tamen actus, utpote deformes & inhonestos, non nisi invitus, & lege Universum administrandi quodammodo coactus concurrat. Hæc ergo opera Deus non vult, sed averfatur, & eorum perpetrationem, pœnam etiam interminatione prohibet. Circa illa proinde, quæ primò recensui, elicit Deus actum volentem, circa hæc permittentem.

SECTIO SECUNDA.

De efficace voluntate Dei, & an sens. per impleatur.

TERTIA divinæ Voluntatis divisio est in I. efficacem, & inefficacem. Voluntas efficace est illa, per quam Deus ad operandum determinatur, suamque Omnipotentiam ad opus applicat. Hæc proinde est, ratione cuius dicitur Deus nihil operari sine voluntate suâ: de qua ad Ephes. 1. vers. 11. dicit Apostolus, Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

II. Circa voluntatem Dei efficacem quæri solet, an semper impleatur. Respondetur affirmativè cum S. Thoma hic, quæst. decima-nona, art. 6. quem Theologi omnes sequuntur. Ratio est: ut enim absoluta & efficace alicujus voluntas impleatur, aliud nihil requiritur quam ut vim habeat illius rei executivæ; Deo autem, Omnipotens cum sit, & virtutem habeat infinitam, potentia exequendi deesse nequit: ergo efficace ejus, & absoluta voluntas nullâ ratione potest non impleri. Hinc Esther 13. v. 9. de Deo dicitur: Non est qui possit tua resistere voluntati, si decreveris salvare Israël. Item Psalmo 134. vers. 6. Omnia quæcumque voluit Dominus, fecit in celo & in terra, in mari, & in omnibus abyssi. Et ad Rom. 9. v. 19. de Deo ait Apostolus: Voluntati ejus quis resistit? Idemque plurius aliis Scripturæ locis probari possit.

III. Hoc autem, non in effectibus tantum naturalibus, seu necessariis, verum habet, quæ à Deo solo pendent, ut sunt Cælum, Sol, Angeli, & id genus alia, quorum effectioem, volente Deo ea producere, vel etiam in iis quæ à Deo pendent simul cum causâ creatâ necessariâ, ut dum unâ cum sole vult producere lucem: sed in actibus etiam nostris liberis verum est efficacem ejus voluntatem frustrari nunquam posse, sed semper impleri. Ratio est: Deus namque, ut Disp. 25. de Anima, dum de Præfinitionibus, ostendi, nullum actum liberum præfinit, aut præfinire potest, nisi prius per sciëntiam mediam cognoverit, quid in talibus circumstantiis factura sit creatâ voluntas. Cum ergo nihil præfinit unquam, aut velit efficaciter, nisi quod novit voluntatem in illis circumstantiis facturam, frustrari nunquam potest ejus volitio; id enim solum vult, quod scit fore ut velit voluntas creata.

IV. Quaritur secundo: Utrum in Deo sint, vel esse possint decreta, seu volitiones efficaces merè conditionata, seu quæ nullum omnino habebunt effectum: exempli causâ, an Deus hujusmodi actum habeat: Si in Tyro & Sidone facta fuissent miracula, quæ patrata erant apud Iudeos, ego illos convertissem. P. Alarcon, & P. Granado, ut supra vidimus Disp. 17. sect. 9. num. 8. negant Deum ulla omnino habere decreta efficacia purè conditionata, seu quæ quamvis de facto nullum omnino habebunt effectum, habitura tamen essent, si talis vel talis poneretur conditio. Existimo nihilominus, etsi conditionata istiusmodi volitiones non sint passim admittendæ, in omni præsertim rerum combinatione imaginabili, ut ibidem latius dixi, omnia tamen decreta conditionata, de rebus saltem proximè possibilius, seu quæ circa res existentes essent verisimiliter eventuræ, non esse à Deo rejicienda.

V. Sicut in humanis non esset viri prudentis deliberare, & conditionatè statuere quid facturus esset, si ceteris

I. Quis sit voluntas Dei efficace.

II. Voluntas Dei efficace semper impleatur.

Hoc aperit ex Scriptura ostenditur.

III. Etiam in actibus nostris liberis impletur semper voluntas Dei efficace.

Ostenditur, quo pacto in actibus nostris liberis semper impleatur Dei voluntas.

IV. Dari possunt in Deo decreta efficacia conditionata.

Declaratur in quo situm sit decretum conditionatum efficace.

V. Res hæc ex-ple ab humano delirio illustratur.

Negari aliqui dari omnino in Deo voluntatem antecedentem.

Deus in actibus suæ voluntatis dupliciter procedit.

De actu volente & permittente, quomodo in Deo reperiantur.

Quasnam res & operationes creaturarum velit Deus, quas tantummodo permittat.

Voluntas voluntatis in Deo solummodo permittitur.

Qua determinationes conditionata virtutum prudentem doceant.

si ceteris omnibus in civitate aliquâ aut regione extinguis, is solus foret superstes; cum hoc, esto remotè possibile, non sit cum ullâ probabilitate eventurum. Nullus tamen vitio ipsi vertendum censebit, si locis vicinis bello ardentibus, seridè cogitet, & apud se statuât, quid ageret, si milites eò etiam excurrerent, si urbi immineret obsidio &c. quid, inquam, ad commune bonum, suâque familie conservationem & securitatem in his esset circumstantiis facturus: recta enim ratio postulat, ut de malis verisimiliter eventuris prius cogitet, quam reipsâ in eam irruant, reiçue prospiciat tum privatæ, tum publicæ. Et hæc de voluntate Dei efficace, tam absolutâ, quam conditionatâ.

SECTIO TERTIA.

De voluntate Dei inefficace.

I. *Negant quidam ullam in Deo esse voluntatem inefficacem.*

CIRCA voluntatem inefficacem, negant nonnulli eam in Deo reperiri. ita sentire videtur Halensis l. p. q. 36. Memb. 2. S. Bonav. in l. d. 46. a. 1. q. 1. & alii, qui nullo modo ullam in Deo admittendam aiunt voluntatem, quæ non impletur. In quam rem etiam P. Arriaga hic, Disp. 25. sect. 3. num. 20. & 21. inducit Zumel cum lachrymis querentem, repertos esse aliquos, absolutam in Deo voluntatem statucentes, quæ non sortiatur effectum.

II. *Voluntas aliqua inefficax, necessariò in Deo admittenda.*

Contraria tamen sententia longè est probabilior, in Deo scilicet esse voluntatem inefficacem, seu quæ non impletur. Hoc inprimis constat in voluntate quam habet Deus salvandi omnes, juxta illud Apostoli l. ad Timoth. 2. v. 4. ubi de Deo dicitur, *Qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & tamen certum est hanc voluntatem circa omnes homines non habere effectum, cum plurimi salutem non consequantur.*

III. *Communis est Theologorum sententia, esse in Deo voluntatem inefficacem.*

Hæc itaque sententia est in scholis communissima: tenet eam inprimis S. Thomas l. p. q. 19. a. 6. ad primum, ubi asserit Deum velle antecedenter omnem hominem salvari. Idem docet Molina hic, q. 19. art. 6. Disp. l. Suarez lib. 4. de Prædestin. cap. 1. & 2. Granado hic tract. 4. Disp. 4. Arriaga citatus, & alii.

IV. *Quo sensu voluntas hæc inefficax, dicitur absoluta.*

Solum noto, non rectè à quibusdam ideo negari dari in Deo voluntatem inefficacem, quia, inquam, foret absoluta, non conditionata; voluntatem autem absolutam Dei impossibile est non impleri. Respondetur enim, voluntatem hanc inefficacem, esse absolutam in essendo, & non conditionatam; est enim volitio, quæ verè & realiter in Deo existit, non quæ posita conditione existeret: non est tamen absoluta, sed conditionata in volendo & efficiendo; vult nempe Deus salutem omnibus nisi per ipsos steterit, quo minùs eam consequantur: existit proinde absolutè, vult conditionatè.

V. *Hæc voluntas inefficax finis, est respectu quorundam mediocriter.*

Addo tamen, quamvis hæc voluntas sit respectu finis, salutis scilicet, inefficax, nihilominus respectu quorundam mediocriter, esse efficacem. Deus namque ex vi voluntatis, qua omnibus vult salutem; media ad hunc finem conducentia, ut prædicationem Evangelii, & Sacramenta exterius, interiorius verò gratiam sufficientem præparat: adultis enim illustrationes varias & illuminationes immitit, quibus si cooperari vellent, salutem consequerentur. Pro infantibus verò, qui hujusmodi illustrationum capaces non sunt, eos, ad quos illorum cura spectat, illuminat, & internis inspirationibus

ac motibus ad quædam circa parvulos præstanda instigat, quæ si facerent, parvulorum nullus sine remedio ex hæc vitâ decederet. Ob hanc ergo voluntatis hujus inefficacitatem circa finem, & efficaciam circa media ad finem necessaria, quidam eam, non simpliciter inefficacem, appellant, sed mixtam.

Quidam hanc voluntatem vocant mixtam.

Dices: Dei voluntati, ipsâ etiam testante Scripturâ, nullus potest resistere. Sic, ut supra vidimus Esther 13. v. 9. de Deo dicitur, *Non est qui possit tua resistere voluntati*; & de eodem ait Apostolus: *Voluntati ejus quis resistit?* Respondetur, hæc & alia Scripturæ loca de efficaci Dei voluntate intelligi, quæ, ut sect. præcedente dixi, semper impletur. Hinc tamen non conficitur, non dari aliam in Deo voluntatem, eamque inefficacem, cui homines identidem resistunt. Sic in illo D. Pauli testimonio num. 2. adducto, *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, qui tamen, nec salvantur omnes, nec ad veritatis agnitionem veniunt, sed Deo vocanti aures ocludunt multi, & in voluntarium ruunt perniciem.* Ad quod apposuit S. Augustinus lib. de Spiritu & literâ, cap. 33. *Vult, inquit, Deus omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quod cum ita sit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt.*

VI. *Solum dicitur Scriptura, voluntati Dei efficaci non resisti.*

Hoc ipsum alibi sæpè testatur Scriptura, ut Ezechielis 18. v. 23. ubi dicit Deus: *Nunquid voluntas mea est mors impij, dicit Dominus, & non ut convertatur à viis suis & vivat?* Et apud eundem Ezechielem cap. 33. v. 11. ait Deus, *Nolo mortem impij, sed ut convertatur impius à viâ suâ, & vivat.* Ad quam rem 2. Petri 3. v. 9. dicit Apostolus: *Dominus patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad penitentiam reverti.* Cum ergo aperte constet, non omnes impios respicere, nec ad penitentiam reverti, sed multos in peccatis, & finali impenitentia ex hac vita discedere, ac perire, certum etiam est, aliam esse in Deo voluntatem præter efficacem; huic quippe, ut supra dixi, nullus resistit, cum tamen voluntatibus Dei supra positus multi resistant.

Offenditur, multis voluntati Dei inefficaci non resisti.

VII. *Veteris Scriptura testimonio probatur, esse in Deo voluntatem inefficacem.*

Dicere autem, quod nonnullos affirmantes video, Deum voluntates hæc verè & realiter non habere, sed solum voluntates signi, id est præ se quidem ferre, se hujusmodi aliquid velle, re tamen verâ nil tale quocunque modo intendere: hoc, inquam, est rem planè Deo indignam asserere, docereque ipsum hominibus imponere, dum seridè se eorum, qui suâ culpâ damnantur, conversionem, respicientiam, ac salutem desiderare insinuat, reipsâ tamen nihil minus intendit: quod sanè infinitam Dei bonitatem dedecet, resque vel homine ab omnibus censeretur indignissima.

VIII. *Voluntatis inefficax in Deo, non est tantum voluntatis signi.*

Tandem, dari in Deo voluntatem aliquam inefficacem, aperte probatur ratione; cum enim nihil facere quisquam possit, nisi Deo concurrente, seu concursu in actu primo parante, hic autem concursus non paratur nisi per actum aliquem voluntatis divinæ; cum; inquam, hoc ita sit, sequitur quoties peccator aliquis non convertitur, non potuisse ipsum converti, nec habuisse omnia ad conversionem in actu primo requisita; sequela probatur; non potest quis converti sine voluntate aliquâ Dei volentis cum eo ad conversionem concurrere; sed Deus juxta hanc sententiam, nullam habet hujusmodi voluntatem, non enim habet voluntatem efficacem, hanc quippe si haberet peccator converteretur, voluntati enim Dei efficaci nullus resistit; ergo habere debet inefficacem, talem nimirum, quam peccator nolendo cum eâ cooperari, reddit

IX. *Ratione ostenditur, dari in Deo voluntatem aliquam inefficacem.*

reddi inefficacem, quæque licet de facto non inferat effectum, potuisset nihilominus inferre, nisi per peccatorem stetit. Idem in aliis plurimis contingit; ut quoties quis præceptum aliquod violat, sequitur ex illa sententiâ non potuisse eum illud servare, nec omnia ad illius implicationem habuisse in actu primo necessaria.

X. Quo modo autem Deus habuerit voluntatem salvandi omnes, etiam reprobos, est peculiaris difficultas postea latius discutienda. Ubi similiter variaz dicti illius 1. ad Timoth. 2. Omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire à S. Augustino adhibita explanationes referentur, quæque hac in parte S. Doctoris mens fuerit, plenius declarabitur Disputatione trigesima octava, sectione secunda.

SECTIO QUARTA.

De divisione Divinae voluntatis in voluntatem beneplaciti, & signi.

I. QUARTA, eaque celebris divinae voluntatis divisio est in voluntatem Beneplaciti, & Signi. Hanc tradidit in primis Magister in 1. dist. 45. & S. Thomas 1. p. q. 19. a. 11. & cum iis Theologi omnes.

II. Voluntas itaque Beneplaciti est vera voluntas in Deo, sive efficax sit, sive inefficax: de qua loqui videtur Christus Matth. II. v. 26. dum Patrem alloquens, dicit: ita Pater, quoniam sic placitum fuit ante te. Eandem Dei voluntatem ponit Apostolus ad Ephes. 1. v. 9. Vt notum faceret nobis Sacramentum voluntatis suae secundum beneplacitum ejus. De eadem etiam dicitur Act. 13. v. 22. Qui faciet omnes voluntates meas. Denique per hanc voluntatem beneplaciti, vult Deus omnia quæ facit.

III. Voluntas Signi non est vera voluntas in Deo, sed metaphorica tantum, seu signum voluntatis. Quinque autem hujusmodi signa communiter referuntur divinae voluntatis: Præceptum, Prohibitio, Consilium, Permissio, Operatio, quæ hoc versu comprehendendi solent: Præcipit, & prohibet, permittit, consulit, implet.

IV. Per præceptum indicat Deus voluntatem, non ut res fiat, sed voluntatem obligandi ut fiat. Prohibitio è contrâ voluntatem indicat obligandi ne res fiat, estque præceptum negativum. Consilium indicat iudicium Dei, quo id quod consulit, decernit esse melius opposito. Permissio non est signum voluntatis divinae circa peccatum ipsum, ut malè Durandus in 1. dist. 45. q. 3. num. 7. solum ergo indicat, voluntatem non denegandi concursum generalem, nec impediendi rem permissam. Unde quamvis peccatum oderit & aversetur, in illius tamen permissione complacet, utpote quæ bona est: ad quam rem S. Augustinus in Enchir. Deus, inquit, melius iudicavit de malis bene facere, quam mala non permittere. Operatio denique Dei externa internam aliquam ejusdem voluntatem denotat, utpote qui quicquid agit, per voluntatem agit.

V. Hinc non levis oritur difficultas, maximeque inter Theologos controversa, utrum scilicet voluntas Signi voluntatem aliquam, seu actum denotet qui re ipsa in Deo non est, sed solummodo in eo nobis videatur existere.

VI. P. Suarez lib. 3. de Attrib. cap. 8. ait, signum illud externum semper indicare existere in Deo voluntatem beneplaciti illius rei cuius est signum.

R. P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. 1.

Idem docet P. Granado hic, tract. 5. Disp. 2. & ex recentioribus non pauci. Ait itaque, hæc sententia quando Deus exempli gratia, Abrahamo præcepit ut filium immolaret, intimationem illam externam non fuisse signum voluntatis præcepti de occisione filii, sed solum denotasse, extitisse in Deo voluntatem beneplaciti, qua volebat ut omnia ad illius occisionem necessaria pararet, serioque se ad eum in sacrificium Deo offerendum accingeret; ut scilicet ligna & ignem provideret, gladium distringeret, brachium ad eum interficiendum extendere &c.

Secunda tamen sententia affirmat, ita dari in Deo posse voluntatem signi merè metaphoricè, ut tunc non sit in eo omnino voluntas illa beneplaciti, cuius hoc est signum: & hujusmodi aiunt auctores hujus sententiae, fuisse præceptum illud Abrahamo datum de occidendo filio, intimationemque illam externam ei factam, asserunt fuisse signum voluisse Deum ut Isaacum re ipsa interficeret, quamvis vera Deus hujusmodi voluntatem non habuerit: ita Vasquez hic, Disp. 83. cap. 1. Alarcon hic, tract. 3. Disp. 6. c. 1. Tanner. 1. p. q. 10. dub. 3. & alii.

Hæc dissensio tantum esse potest de modo loquendi: quia in re congruentius loqui mihi videntur auctores secundæ sententiæ. Existimo itaque voluntatem signi non denotare veram voluntatem in Deo existentem illius rei cuius est signum, sed propterea rem aliquam externam vocari voluntatem signi, quia in nobis esse solet signum hujusmodi voluntatis, seu actus interni, quo absolute aliquid volumus, & propterea, cum ejusmodi signum externum à Deo edi cernimus, illum similem absolutam voluntatem ei voluntati, cuius in hominibus est signum, habere interpretamur, licet frequenter hujusmodi voluntatem non habeat, ut in præceptis variis & prohibitionibus constat, quibus nihilominus homines non obtemperant. Imò præcipit interdum illud Deus, quod absolute vult non fieri, ut in præcepto Abrahamæ dato de Isaac in Sacrificium offerendo contigit; ex quo mandato existimavit Abraham voluisse Deum, non solum ut omnia ad sacrificium filii necessaria pararet, sed etiam ut re ipsa eum occideret, cum tamen Deus hoc non voluerit: imò absolute voluit contrarium.

Ad hoc moveor præcipue, quòd S. Thomam, qui ex primis fuit eorum qui hæc divinae voluntatis divisionem tradiderunt, hoc modo loquentem videam primâ parte siquidem q. 19. a. 11. ad 2. ait punitionem esse voluntatem signi iræ in Deo, cum tamen ira secundum S. Thomam in Deo reperiri non possit: quædam enim, inquit, quia in nobis solent esse signa volendi, in Deo divinae voluntates dicuntur, & exemplum ponit in punitione & irâ, cum tamen juxta ipsum, Deus non alio modo irasci dicatur, quam quòd quædam efficiat quæ in nobis ex irâ proveniunt.

Hinc tamen infero, nunquam dari voluntatem signi sine aliqua voluntate beneplaciti. Ratio est clara: voluntas enim signi est res aliqua externa à Deo producta; hæc autem sine actu aliquo voluntatis divinae, quo eam vult producere, existere non potest, actus autem quo Deus vult rem aliquam existere, est voluntas beneplaciti, ut ex dictis constat.

Infero secundò cum S. Thomâ hic q. 19. a. 12. ad 1. de eadem re plures in Deo dari posse voluntates signi, voluntatem scilicet præcepti & consilii, prohibitionis, & permissionis &c. quæ toties contingunt, quoties Deus rem eandem consuleret simul & præceperet, quod non est cur fieri nequeat, sicuti rem aliquam sepius prohibet & permittit.

per denotare voluntatem beneplaciti illius rei, cuius est Signum.

VII. Secunda sententia negat esse in Deo necessariò hujusmodi voluntatem beneplaciti.

VIII. Præferendus est modus loquendi secundæ sententiæ.

IX. Mens S. Thomæ circa voluntatem Signi.

X. Nunquam datur voluntati Signi sine aliqua voluntate beneplaciti.

XI. De eadem re, varia inter alios sunt in Deo voluntates Signi.